agnoscere. Nam sunt nonnulli qui praecepta dei nec aure corpo
ris percipere dignantur. Et sunt nonnulli qui haec quidem
corporis aure percipiunt. sed nullo ea mentis desiderio con
plectuntur. Et sunt nonnulli qui libenter verba dei suscipiunt.
ita etiam ut in fletibus conpungantur. sed post lacrimas
ad iniquitatem redeunt. Hi profecto verba dei non audiunt.
quia haec exercere in opere contemnunt. Vitam ergo
vestram fratres karissimi ante mentis oculos revocate. et alta conside
ratione pertimescite hoc quod ex ore veritatis resonat propterea
vos non auditis quia ex deo non estis. Sed hoc quod de reprobis
veritas loquitur. Ipsi de semet ipsis reprobi suis operibus
ostendunt. Responderunt igitur iudaei et dixerunt ei.
Nonne bene dicamus nos quia samaritanus es tu et demonium
habes. Accepta autem tanta contumelia quid dominus responde
rit audiamus. Ego demonium non habeo. sed honorifico patrem
meum. et vos inhonorastis me. Quia enim samaritanus custos
interpretatur. et ipse veraciter custos est. de quo psalmista ait.
Nisi dominus custodierit civitatem. in vanum vigilant qui custodi
unt eam. Si ergo samaritanum se non esse diceret. custodem
nostrum se esse negaret. Sed tacuit quod se esse cognovit. et patienter
contradixit quod non fuit dicens. Ego daemonium non habeo.
In quibus verbis quid aliud nisi superbia nostra confunditur. quae si
exagitata ut leviter fuerit. atrociores iniurias reddit quam
acceperat. facit mala quae potest. minatur et quae non potest.
Ecce iniuriam suscipiens deus non irascitur. non contumeliosa
verba respondit. Quod si eisdem insultantibus respondere
voluisset. demonium vos habetis. verum procul dubio dixisset. quia
nisi repleti demonio fuissent. tam perversa loqui de deo numquam po
tuissent. Sed accepta iniuria. patienter protulit. ut nobis
ostenderet cum a proximis ex falsitate contumelias acci
pimus. patienter etiam vera mala taceamus. In semet ipso
enim dominus patientiae praebuit exemplum. Qui ait. Ego demonium
non habeo. sed honorifico patrem. et vos inhonorastis me.